

Congregatio Hispano-Benedictina alias Sancti Benedicti Vallisoleti.

Auctore D. Fausto Curiel, O. S. B. Hispano-Casinensi P. O.

(Continuatio ad fasc. I./II. 1908. pg. 66—78.)

§ III.

Monasterium S. Juliani de Samos.

Praeclari hujus Coenobii fundatio refertur ab Ambrosio de Morales nostroque Yepesio ad an. 759 occasione persecutionis Christianorum a Mauris permota in meridionalibus Hispaniae provinciis, ex quibus aufugientes monachi secesserunt ad Astura et Gallaica montana. Ex eis fuit Argericus Abbas qui cum sorore sua Sarria constitit apud locum Samanos, ubi aliis sociis adjunctis, regeque Froylano I. adprobante, Monasterium excitavit.¹⁾ Sed dicendum est atque hodie tenendum quod Monasterium Samonense tunc non coeperit, sed restauratum fuisset, ut enim jam autumaverat Cl. P. Prudentius de Sandoval, O. S. B. ejus initia temporibus Gothorum collocanda sunt,²⁾ hocque probat antiquissimus lapis anno 1753 discoopertus, in quo erat inscriptio jussu Ermenfredi Episcopi Lucensis (653—56) exculpta, ubi dicit se Coenobium hoc in pristinum statum restituisse, exoratque Christo Domino ut monacale decus ibi per secula nitescat vinceatque animas „Regula sancta“;³⁾ ex quo verisimile probatur jam tunc servari Benedictinam in eo, quam in Galloeciam invexisse S. Martinum Dumiensem nostri communiter existimant.⁴⁾

Nulla alia notitia hujus Coenobii exstat usque ad an. 716, quo, cum territorium Lucense a Mauris depopulatum esset, monachi etiam Domum deserere coacti sunt, ut colligitur ex diplomatibus regiis, unde noscitur quoque historia restorationis per Argericum Abbatem, quem Monasterio Agaliensi scriptores ut plurimum praeficiunt con-

¹⁾ Morales (Ambrosio). — Lib. XIII, cap. 18 (t. II, pag. 228), »Glorias nacionales«, Madrid 1852: »Viaje Santo«, pag. 164, edic. Florez, Madrid 1765; Yepes, III, 211; »Motivos« etc., pag. 371 seq.

²⁾ Apud Argaiç, »Soledad laureada« t. III, p. 434.

³⁾ Risco O. S. A., »España Sagrada«, XL, 81—83: Haec erat inscriptio: »Ats ego Ernefredus Lucensi Praesul in urbe — Dispensans plebi jura Sacerdotii — Talia confirmans vota edictis per evum — Restitui lapsa cepta bene cumulans — hujus xpe gregis tu tantum claustra tuere — noxia ne pestis turbet ovile patens — hic igitur monacale decus per secla nitescat — vinceat hic animas regula sca . . .« Cf. quoque t. XIV p. 385, edit. 2^{ae}, Matrili 1786.

⁴⁾ Yepes, I, 241; Rodriguez (Ant. Jos.), O. S. B. Cist. »Antigüedad de la Regla del gran Patriarca San Benito en España«. Caesaraug. 1750, p. 169 seq. — Mabillon, »Annales O. S. B.« I., lib. III, n. 37, 38, pag. 74. — »Acta SS. O. S. B.«, Praefat. in saec. I., pag. 28, edit. Venet. 1733: »Praefationes in Acta SS. O. S. B.«, pag. 28, edit. Venet. 1740.

jecturis magis quam veris probationibus ducti.¹⁾ Dictus ergo Argericus Sacerdos et Abbas veniens ex finibus Hispaniae stetit in hoc loco, quem obtinuit a Rege Froylano, qui multa praedia oppidaque simul concessit, hisque adjunctis Argericus antiqua Monasterii aedificia restauravit fecitque „Coenobium multorum secundum normam Sanctorum Patrum“.²⁾ Post mortem vero Regis nonnulli viri potentes „per intervalla temporum“ molestias Coenobio intulerunt, quin tamen tunc ab observantia recederet, etenim an. 785 inde extracti sunt quidam monachi ad inhabitandum novum Coenobium in honorem SS. Stephani et Pauli non longe conditum. Persecutio perdurasse videtur usque ad tempora regis Alphonsi II., qui pueritiam in hoc Monasterio transegit, et cum regno patris potiretur, per vim ab illo ejectus, iterum in Samanos se aliquandiu recepit.³⁾ In paternam haereditatem iterum restitutus Alphonsus, memorque beneficiorum quae a monachis Samonensibus acceperat, bona Monasterii recognoscere jussit, cunctaque solemnibus diplomate die 11. Junii 811 dato confirmavit, simulque soecularibus prohibuit ne amplius ea tangerent.

Primis Ramiri successoris ejus in regno annis pervenit ex provincia Vandaliae quidam Episcopus nomine Fatal, cui rex tribuit Monasterium Samonense cum omnibus possessionibus, et cum paulo post nonnulli monachi „advenae Cordubenses“ adventarent, ibidem recepti sunt, eosque Ordonnius I. per diploma 15 Aprilis 852 constabilivit. Anno sequenti (13. Julii) alio diplomate donationes a suis praedecessoribus factas confirmavit simulque restitui jussit bona quae alienata fuerant post mortem Abbatis Argerici. Eodem tempore, supellectilia librosque ad divinum cultum tradidit, iterumque prohibuit saecularibus quod in regimine Conventus se immiscerent, vel bona jurisdictionemque Monasterii, quae tunc jam „ad milliarium et semis ex omni parte per gyrum“ extendebatur, usurparent.⁴⁾

¹⁾ »España Sagrada«, XL, 206—209. — Revera, ut observat Florezius, Monasterium Agaliense dicatum erat SS. Cosmae et Damiani Mart. non S. Juliano ut videre est in Vitis Sti. Ildephonsi Arch. Toletani (Acta SS. O. S. Benedicti, II, 495, 499, ed. Venet.). Quod autem inveniatur in Concilio Toletano XI Abbas S. Juliani »Agaliensis« censet idem auctor vocem »Agaliensis« esse interpolatam, cum non constet in codicibus antiquis Conciliorum. (Cf. »España Sagrada«, V, 276—277.)

²⁾ Ex hisce verbis colligendum quoque videtur Regulam benedictinam in hoc monasterio servatam, licet contradicat Risco (XL, 211) nullam tamen rationem adducens contra Mabillonium nostrum. (Praefat. in saec. II, O. S. B. n. 21, pag. 58, edit. cit.)

³⁾ Morales, lib. XIII, cap. 25, pag. 236, edit. cit. — Yepes, III, 214: qui censet Alphonsum ibi professum vitam monasticam et ob id postea castitatem servasse, quod verisimile videtur Cl. P. Feijoo »Teatro critico« t. III. in nuncupatoria ad Abbatem et Monachos Samonenses.

⁴⁾ Yepes III, 215, 221. — España Sagrada XL, 213—215.

Eodem Ordonnio regnante accessit etiam ex provinciis a Mauris occupatis Offilus Abbas cum Deo devota nomine Maria ejus sorore, atque Vincentio Presbytero, quibus rex tradidit Coenobium Samonense (20. Maji 856) ut illud reformarent, videtur enim quod ejus incolae non satis regulariter degebant. Commissum sibi munus feliciter explevit Offilus, qui testamentum condidit anno 872, ubi plura quae ad priorem Coenobii statum pertinebant, referuntur. Post ejus obitum noviter inciderunt Samonenses in relaxationem, partim in id excusantes, partim absque legis censura et Christi jugo esse volentes¹⁾, ut constat ex diplomate Ordonnii II.¹⁾ qui per duos nobiles viros Ariam Menendez atque Gutierre Menendez S. Rudesindi Episcopi progenitorem, aliquos monachos ex Coenobio de Peña in territorio Legionensi sub abbate Virila sanctissime conversantes, in Samos deferre curavit.²⁾ Cum autem ob incuriam priorum monachorum scripturae aliaque Coenobii hujus generis instrumenta periissent, jussit Ordonnius ut transcriberentur alia ex originalibus quae apud Ovetum servabantur, quod illico factum est; verumtamen post hujus piissimi regis obitum episcopus Lucensis, Ero dictus, praedicta diplomata monachis violenter ademit, eosque per diversa loca dispersit. Quae cum ad aures regis Sanctii³⁾ pervenissent, concilium Luci congregare curavit, ibique condemnatus est Episcopus atque instrumenta monachis restituta sunt, post quod, anno 931, Ramirus II. iterum omnia solemniter confirmavit.⁴⁾ Ipso tempore commissum est S. Rudesindo ut res Samonenses componeret, qui in conventu apud Nocariam habito Abbatem hujus Coenobii ordinavit unum ex monachis reformatoribus nomine Adelphium⁵⁾ sub quo cuncta prospere tandem ac pacifice processerunt, ita ut deinde inter praecipua illius regionis Monasteria jure merito accenseretur Samonense tum religione tum opibus, tum coenobiis locisque annexis in quae Abbas jurisdictionem quasi episcopalem necnon et temporalem seu civilem exercebat.⁶⁾

¹⁾ Morales, lib. XV, cap. 32 (pag. 310, t. II, edit. cit.). — Yepes, l. c. et in »Appendice« Escritura-X, pag. 20, quae correctior invenitur in t. XIV Hispaniae sacrae, pag. 381, edit. 1786. — Cf. idem opus, XL, 217.

²⁾ Yepes III, 218, 221. — España Sagrada. Fallitur Argaiz (Soledad, III, 448) dum ex nominis similitudine ductus scribit hos Monachos desumptos fuisse ex Coenobio S. Joannis de la Peña in Aragonia.

³⁾ Hic Princeps erat filius Ordonnii II. et quia tantum regnavit in Galloecia non computatur inter Reges ejusdem nominis. Primus de eo loquitur Yepesius noster in historia Cellaenovae, V, 19, 20; fusius vero Florez, »España Sagrada«, XIX, 119—135.

⁴⁾ Yepes III, 217—218. — »España Sagrada« XL, 134—135, 218.

⁵⁾ Auctores cit. Argaiz III, 448.

⁶⁾ Viginti quatuor Coenobia Samonensi adnexa memorantur apud Yepesium, nonnulla saeculo IX et X aedificata, ex quibus SS. Stephani et Martini tempore Froylani Regis conditum ab Egila qui ex persecutione Arabum aufugerat. Monasterium S. Matthaei fundatum est an. 930 »secundum Regulam S. Benedicti, pro

Inter Abbates Adelphii successores magis illustres sunt Novidius (aera 1007 seu an. 969) qui simul episcopali potiebatur dignitate,¹⁾ et Joannes postea Lucensis Pontifex, qui res Samonenses componere debuit quia ejus Successor Sanctius bona Monasterii sibi adjudicans, cum suis subditis non satis largus se praebebat. Hac de causa „ut omnem (ait ipse) deinceps negligentiae circa ordinem B. Benedicti occasione illius penitus tolleremus, et ut ipsi monachi juxta consuetudines Monasterii vel Cluniacensis, vel Sancti Facundi, ubi sanctitatis religio florere creditur, Deo sub obedientia regulae Sancti Benedicti totis mentibus inclinarent, et sicut eorum corporali procurationi sufficienter providendo non parum augemus, ita et ipsi Regulae suae mandatis studiosissime ac diligentissime invigilent.“²⁾ Similia iterum contigerunt sub Abbate Pelagio, qui in regiminis initio nominatus fuit Archidiaconus Ecclesiae Lucensis occasione litis finitae inter hoc Monasterium dictamque Sedem, et „propter devotionem et religionem tam Abbatis et Monachorum, quam Monasterii excellentiam et dignitatem inter coetera Monasteria suae Dioecesis.“³⁾ Haec concordia subscripta est a quinquaginta monachis, qui processu temporis ita diminuti sunt ut tempore reformationis Vallisoletanae, quae incoepit die 5. julii 1499 et finivit an. 1505 tres tantum in Conventu inventi sunt licet hoc Coenobium in unguis Commendatariorum non incidisset.⁴⁾

Primus ex Vallisoletanis Abbas fuit Joannes de Estella, monachus S. Joannis B. Burgensis⁵⁾ Praesidis titulo prius Monasterium rexit (1499—505), et postea iterum atque iterum electus

adventu hospitum, pauperum et peregrinorum.« Eodem fere tempore excitatum fuit Coenobium S. Mariae de Ferreira, quod usque ad saeculum XVI abbatiali potitum est dignitate, quapropter a rapacibus Commendae manibus evadere non potuit usque ad annum 1510, quo Samonensi unitum fuit. V. Yepes, IV, 302 - 3, ubi ex professo de ipso pertractat. Argaiz III, 445.

¹⁾ Yepes loc. cit. 221. Si fides tribuenda est nonnullis antiquis Codicibus a P. Risco adductis computandus est quoque inter Abbates Samonenses S. Alvitus, Legionensis Episcopus (1057—1063 †) quem Sahaguntini suum esse censebant, quibusque tribuerunt e nostris Cl. Sandoval, »Fundaciones«, pag. 86; Yepes, III, 200, VI, 198; et Argaiz, »Perla de Cataluña«, pag. 375; »Soledad laureada« quodque pro viribus defendit P. Escalona, »Historia del Real Monasterio de Sahagun«, pag. 62, et in speciali opusculo adversus P. Risco. At ex chronologia videtur alium esse Alvitum Sahaguntinum ab episcopo Legionensi, nisi dicatur eundem Abbatiam Sedemque eodem tempore tenuisse. Cf. »España Sagrada« XXXV, 72—79; XXXVI, Praefatio.

²⁾ »España Sagrada« XL, 221.

³⁾ »España Sagrada«, loc. cit. 222; Yepes 221 v.

⁴⁾ »Motivos legales«, pag. 372. Statim post reformationem numerus crevit, et deinde Conventus fuit ex magis numerosis. Initio saec. XIX. constabat 83 monachis et 4 Conversis.

⁵⁾ Argaiz hunc Onniae professum existimavit (Soledad, VI, 496); quidquid vero ipse dicat, praecedit Lupo de la Barrera in omnibus Catalogis, quos vidimus.

pervenit usque ad an. 1515; tandem rursus designatus an. 1523 videtur paulo post vitam finiisse. In ejus locum suffectus est Lupus de la Barrera, Samonensis, vir magnae virtutis, qui per triginta sex annos (1523—53) abbatiam gubernavit nullo alio interposito (rarissimum exemplum in hac Congregatione); postea reelectus an. 1562, in sequenti decessit e vita singularis sanctitatis opinione, quae aucta est cum aliquot post annos, sepulchro aperto, ejus corpus sine corruptione apparuit. Haerodem virtutis habuit Joannem de Fromista (1583—86) cui morienti apparuisse dicitur S. P. Benedictus (an. 1621). Inter utrumque hoc Monasterium moderati sunt Benedictus de Gaona (1559—62) et Joannes de Villaumbrales (1566—67), et postea Petrus de Ocampo (1589—92) de quibus actum est in Catalogo Abbatum Generalium.¹⁾ Sequenti saeculo prae aliis memoria dignus est Christophorus de Aresti, hujus Coenobii filius, qui bis gubernacula ejus suscepit (1613—17, 1621—25), quo tempore toreuticum sacrae arae majoris ornatum facere curavit, Capita Patronorum Monasterii SS. Juliani et Basilissae obtinuit, et Collegium Philosophiae quod ibi Petrus de Ocampo erexerat alio transferri adeptus est. Philippus IV. illum pro episcopali Cathedra Paraguayana praesentavit, ex qua ad Bonearensem translatus est, ubi mortalem cursum finivit an. 1638.²⁾ Item Alphonsus Garcia bis Samonense Coenobium moderatus est (1656—7, 1661), et episcopus tit. Constantiensis factus, Placentini coadjutor extitit aliquot annis,³⁾ denuo in claustrum reversus in pace quievit, et Anselmus de la Peña (1689—93) qui ad supremam Congregationis dignitatem elevatus (1697) postea conscendit ad Episcopatum Cotronensem, obiitque in Agrigentino an. 1729.⁴⁾ Ad ipsum saeculum pertinent quoque Petrus Palomino (1669—73) et Maurus Añil (1677—81), ille concionibus, iste commentariis in S. Anselmum illustris. Ex omnibus Praelatis saeculi XVIII magis celebris fuit Antonius Sarmiento, aetate 33 annorum electus (1717) postea Congregationis Moderator (1721) et tandem Episcopus Jacensis et Mindniensis († 18. Oct. 1751).⁵⁾ Hic redditus Coenobii valde auxit, atque Bibliothecam plurimis selectisque libris amplificavit. Eamdem viam sequutus est saeculo XIX Paulus Colmenares (1801—5) qui obiit Episcopus Illerdensis die 20. Junii 1832.⁶⁾ Ejus successores fuerunt Josephus Salgado (1805—14) deinde Abbatiarum elector et Concionator Congregationis (1814);

¹⁾ Studien, 1907, p. 49, 51, 52.

²⁾ Gams, 149, 150; Hernaez, II, pag. 316, 318.

³⁾ »España Sagrada«, LI, 96.

⁴⁾ Ughelli, »Italia Sacra«, IX, 394, edit. Venet. 1721. — Studien, 1907, pag. 326—327.

⁵⁾ Studien, 1907, 328—329.

⁶⁾ Studien, loc. cit. pag. 546.

Vincentius Boado (1814—16 †?); Emmanuel Martinez (1816—18); Andreas de la Barcena (1818—24), qui postea invenitur apud Montforte munere praedicationis fungens (1828); Emmanuel Iglesias designatus in Capitulo an. 1824, eodemque quadriennio morte aut renuntiatione hujus Antonius de Verea,¹⁾ qui antea studiorum moderator Salmanticae inveniebatur (1814); Benedictus Gonzalez Araujo (1828—32), Lector Philosophiae in Collegio Lerezensi (1818), postea in Podiensi studiorum praefectus atque theologiae Lector (1832), quod munus adimplevit quoque post exclaustationem in Seminario Ecclesiae Auriensis, cujus Capituli Archidiaconus exstitit usque ad mortem an. 1883. Ultimus Abbas Samcensis fuit Thomas Quiroga (1832) sub quo dissolutio Conventus contigit an. 1835 quemadmodum in coeteris Galloeciae Monasteriis.

Inter clariores monachos Samonenses speciali memoria digni sunt ex iis qui ad Congregationem Vallisoletanam pertinuerunt, Michael Guntin, studio rerum liturgicarum excellens, propter quod Capitulum generale mandatum ordinandi Ceremoniale Congregationis ipsi imposuit; Gregorius Rodriguez, Yepesio coevus, qui tria vollumina historiae illius Domus reliquit adhuc inedita; Gaspar Cardoso, doctrina quoque clarus, Episcopus Potentinus deinde Draconarianus † 1615,²⁾ sed maxime Hieronymus Benedictus Feijoo, scriptis in lucem prolatis toto orbe celeberrimus (obiit die 21. Septembris 1764).

Monasterium Samonense post diuturnam desolationem, iterum anno 1880 benedictinos revisit incolas,³⁾ nullum tamen ex antiqua communitate, cujus ultimus superstes Tomas Salgueiro hoc anno 1908 mortuus est chori Ecclesiae Lucensis canonicus praefectus.⁴⁾

¹⁾ Confundendus non est cum alio ejusdem nominis, a quo habitum accepit die 5. Octobris 1789.

²⁾ »España Sagrada«, LI, 122, ubi confuse traduntur quae Nicolaus Antonius clare consignaverat in sua »Bibliotheca Hispana«, I, 400, edit. Rom. 1672; III, 522, edit. Matrit. 1783.

³⁾ Hi fuerunt PP. Gaspar Villaroel et Froylanus Gonzalez, ex Monasterio Cellae novae; Remigius Hevia et Alexander Dominguez, ex Compostella; Josephus Alvarez et Joannes Arribas, ex Obarenes; Gregorius de Santiago, ex Silos; Leander Moreno Guzman, ex Dueñas; Petrus Perez, ex Najera; Angelus Macias ex S. Aemiliano, Salvator Rivaya, ex Oña; et Montero (Benedictus? ex Cardeña), qui tamen non eodem tempore convenerunt.

⁴⁾ Praeter hunc et supradictum P. Benedictum Gonzalez Araujo tunc Archidiaconum Auriensem, nullum alium novimus an. 1880 superstitem. P. Attilianus Oliveros in Italiam perrexerat, et Congregationi Cassinensi adscriptus Abbas Stae Mariae Prataleae in Istria renunciatus est an 1858 + 1879; P. Aemilianus Gallo Montserratensibus se adjunxit, hicque supremum obiit diem anno 1868; P. Hermenegildus del Rio, postea in Liceo Victoriensi Cathedrae Religionis Professor, Illmo. D. Salvado an. 1869 adhaesit ad Comunitatem monasticam in Monasterio Escorialensis constituendam, sed revolutione oborta, opus inceptum relinquere coacti sunt, dietusque monachus in patrium solum (Alesanco, Dioec. Calagurritanae) rediens obiit die 1. Martii 1870.

Veterem Congregationem restaurare intendebant, sed cum omnes jam essent aetate nimis protracti, paulatim in sepulchrum descenderunt; quapropter venerabilis P. D. Gaspar Villaroel, qui a Nuntio Apostolico Abbas fuerat institutus, oportunus duxit hoc Coenobium, aliudque in ipsa regione gallaica apud S. Claudium novissime ab eo instauratum¹⁾, Congregationi Cassinensi aggregare, quod perfectum est anno 1893; et paulo post etiam ipse summis precibus a regimine absolvi postulavit, quod pariter obtinuit anno 1895. Reliquum vitae suae tempus religiosissime transegit usque ad diem 2. Novembris an. 1896, quo ad aeterna praemia vocatus est. Ejus in Abbatia successor est Rmus. P. D. Petrus Rueda, patria Burgensis, professione vero Montserratensis, qui nunc in regimine perseverat.

(Continuatio sequitur.)

Kardinal Pitra, O. S. B.

Eine biographische Skizze nach Dom Cabrol's Histoire du Kardinal Pitra
von P. Thomas Bühler, O. S. B.

(Fortsetzung zu Heft 1/2, 1908, S. 58—66.)

XIV. Kapitel.

In Solesmes und Ligugé.

Seit vielen Jahren hatte sich Dom Pitra nach der stillen Klosterzelle gesehnt und sein Wunsch sollte wenigstens für einige Jahre in Erfüllung gehen. Denn von 1853 bis 1858 wurde sein Aufenthalt im Kloster nur durch kleinere Reisen in Geschäftsangelegenheiten oder Besuche von Bibliotheken unterbrochen. Das war das ruhige Klosterleben, welches in Gottesdienst und

¹⁾ Monasterium S. Claudii fundatum fuisse creditur a monachis, qui fugam arripientes post martyrium Monachorum S. Claudii Legionensis, in Galloeciam secesserunt. Veruntamen ex Annalibus Cisterciensibus Cl. Manrique initia hujus Monasterii collocanda sunt circa an. 928. Reformationem Cisterciensem amplexus est an. 1151, et saeculo XVI novae Congregationi, quam suscitavit Martinus de Vargas apud Montem Sion prope Toletum, aggregatum est (1530). Cf. »España Sagrada«, XVII, 30. Derelicto a monachis an. 1836 partim ad Parochi domum, partim ad scholam puerorum destinatum est. Hanc adquisivit a gubernio P. Veremundus Dieguez O. S. B. (ex Monasterio S. Joannis de Corias), ad comunitatem ibi collocandam, quae ex Monasterio Samonensi, cui obtulit aedificium, post ejus mortem (19. Oct. 1888) desumpta est (1891), primusque Superior institutus P. Angelus Macias, qui aetate meritisque plenus die 6. Julii 1893 quievit in pace. Anno 1902 ad Prioratum evectum est primusque Prior designatus P. Robertus Bas, Montserratensis, cui hanc notitiam debemus. Rexit Conventum usque ad Capit. prov. anni praeteriti 1907, in quo ob renuntiationem ejus absolutus est a regimine. Hodiernus Superior ad nutum est P. Timotheus Gentil, pariter Montserratensis, qui eodem titulo jam pridem illum gubernaverat (1898—1902).